

DISPV TATIO THEOLOGICA  
DE  
**MESSIAE ZELO**  
PRO  
**DOMO DEI**

Q V A M  
EX PSALM. LXIX. 10. ET IOH. II. 17.  
CONTRA HYPOTHE SIN

Quasi Textus V. T. pro Christo in N. T. allegati nec possent, nec  
deberent, de eodem toti intelligi, obstante verborum ac  
rerum tortura

*ALVMNI REGIO-ELECTORALES*  
DIE XXII. AVGUSTI MDCCXLIV. HOR. VIII-X. HABEBVNT

P R A E S E S  
**DN. M. IO. FRIDERICVS HILLER**  
ORINGA-HOHENLOICO-FRANCVS ORD. PHIL. ADL.

R E S P O N D E N S  
**DN. CHRISTOPHORVS FRIDERICVS FINGER**  
IVTREBOCENSIS

O P P O N E N T E S  
**DN. M. GOTTLLOB ERDMANN ZEIBICH**  
ILEBVRG-SAXO

**DN. GEORGE GOTTLLOB BARTHOLD**  
FRIESNIZ-MISN.

AD QVAM FREQVENTER ET BENEVOLE  
IN AVDITORIO EPHORI AVDIENDAM *N. T.*  
HONORATISSIMOS ALVMNOS *in Johannem*  
PERAMANTER INVITAT *209.*

**CHRISTIANVS FRIDER. BAVER**

SS. TH. D. P. P. ET AL. EPH. H. T. DEC.

TTEBERGAE, LITTERIS E. G. EICHSFELDI, ACAD. TYP.

Exeg.  
C.

27/10

# THEOLOGICAL DICTIONARY

卷之三

Q. D. B. V.  
AD CONFERENDA LOCA  
PS. LXIX. 10. ET IOH. II. 17.

---

**Z**elus Domini nostri pro domo Dei, quem Iesus Nazarenus comprobauit, eiiendo omnes emtores & venditores e templo Hierosolymitano, est maxime illustris character veri Messiae. Quod enim de moribundo Messia per Davidem praedicitur. Ps. LXIX. 10. *Quamuis zelus domus tuae me consumserit, opprobria tamen te blasphemantium in me cadunt,* id euensis etiam scimus. Instituenda est tantummodo ex hoc vaticinio duplex recordatio, primo zeli Messiae pro domo Dei habendi, deinde opprobriorum, quae ideo latus esset, et apparebit veritas, Iesum Nazarenum fuisse verum Messiam. In his sacris meditationibus premenda sunt vestigia discipulorum, de quibus dicitur. Ioh. II. 17. *Recordati autem sunt discipuli eius, quod scriptum sit: zelus domus tuae comedit me.* Primo representemus nobis factum, deinde conferamus dictum propheticum.

Factum infectum fieri nequit, & electio emptorum ac venditorum e templo Hierosolymitano, est factum Iesu Nazareni, quo duplice vice, tam ab initio, quam sub exitu ministerii, gloriam suam toti Israeli euidenter manifestauit. Hoc miraculum, quod in solenni et publico populi Iudaici conuentu, in templo editum est, negari nequit. Vel hostes & accusatores Iesu id confirmant, accusando eum, Matth. XXVI. 61. *Hic dixit: possum destruere templum Dei, & post triduum reaedificare illud.* Ideo Matth. XXVII. 62. 63. conuenerunt principes Sacerdotum et Pharisei ad Pilatum, dicentes: *Domine, recordati sumus, impostorem illum dixisse viuentem, post tres dies resurgam, quia Iesus emtores ac venditores eiiciens, querentibus Iudeis, ex qua potestate istud faciat, et quod signum eis ostendat,* respondit Ioh. II. 19. *Soluite templum hoc, sine dubio digitum ad proprium corpus intendens, & intra triduum excitabo hoc.* Veritas huius dicti & facti, ob circumstantias historiae subsecutas non potest in dubium vocari; progrediamur autem ad huius rei gestae magnitudinem.

Magnitudinem huius miraculi tam veteres, quam recentiores bene agnouerunt. HIERONYMVS in Matth. c. XXI. sic commentatus

R 2

est:

est: *Plerique arbitrantur, maximum esse signorum, quod Lazarus suscitatatus est, quod coecus ex utero lumen acceperit, quod ad Iordanem vox audit a sit patris, quod transfiguratus in monte gloriam ostenderit triumphantis.* Mibi inter omnia signa, quae fecit Christus, hoc videtur mirabilius esse, quod unus homo, & in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, scribis & Phariseis contra saeuientibus & videntibus, lucra sua destrui potuerit ad unius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem, mensasque subuertere & catbedras confringere, & alia facere, quae infinitus non fecisset exercitus. Sic miratur HIERONYMVS zelum domini, quod e templo, in conspectu sacerdotum, quibus maxime exsus erat, qui ad mortem eum conquisiuerant, tot homines speciosum negotiationis suae praetextum habentes, facto ex funiculis flagello, expulit. Sed nec minoris faciendus est zelus, quo deinde Iudeos diuina eloquia ac vaticinia de Christo cauponantes ex ecclesia Dei eiecit, nec boues, oues & columbas in immolanda ad Iudeorum morem sacrificia vterius admisit. Exinde patet, Dominum nostrum, facta templi repurgatione, suum pro domo Dei zelum tam miraculose demonstrasse, ut a profanatoribus templi, ac blasphemis Iudeis pro vero Messia agnoscendus fuerit, & quidem ob adimpletum de hoc zelo vaticinium.

Peculiare enim criterium veri Messiae patientis, est zelus pro domo Dei. Hoc patet ex verbis Ps. LXIX. 10. *Quamuis zelus domus tuae comedevit me, tamen opprobria eorum, qui te probris afficiunt, super me cadunt.* Sensus eo abit: Quamuis ex vehementi studio, domui Dei debitam asserendi sanctitatem, constet, me flagrare cupiditate promouendi sanctum Dei cultum, nec concedendi, ut domus orationis in locum venditionis conuertatur, quamuis intime indignatus sim, tuum o Deus honorem in domo Dei ab hominibus conculari, & hypocritico cultu immitui; nihilominus tamen opprobria, blasphemantibus debita, in me effunduntur. Illi enim, qui te blasphemant, me pro blasphemante habebunt. Ex frequenti huius Psalmi in N. T. citatione pro Christo & ex ipsa discipulorum reminiscentia, colligere possumus, hunc Psalmum iam illo tempore de Messia fuisse intellectum. Sciebant etiam Iudei in Messia, illum expectandum esse, qui templum suum purgatus esset. Nec filium dedecebat, sed ille obligatus erat, ut honori patris sui coelestis consuleret. Nihilominus

minus qui summa religione ac zelo hoc faciebat conuictatrices experiebatur blasphemias.

Negat quidem CLERICVS, citatum hunc de Christo versum Ioh. II. 7. & Rom. X V. 3. esse vaticinium de eo, sequentibus verbis: *Factum Christi, nummularios & victimarum mercatores templo expellentis, reuocauit haec verba in memoriam discipulorum Christi, ut videmus apud Ioh. II. 7.* Sed inde non sequitur, haec quasi vaticinium de Christo esse prolatum, quandoquidem de quolibet, qui templi curam gessisset, iterari poterant. - At Paulus, inquit, Rom. XI. 9. bunc Psalmum citat ad testimonium quasi Dauidis, καὶ Δαῦιδ λέγει, sed Apostolus illic loquitur ex sententia recepta, ex titulo Psalmi male intellecto nata. Et in notis ad Rom. XV. 3. dicit: *In hac citatione videre licet, quod obseruabamus ad c. IX. 28. cum citantur loca, saepe structuram orationis negligi. Etenim Christus sibi non placuit, sed sicut scriptum est, improperia impropenantium tibi ceciderunt super me, sensus enim imperfectus est.* Et in loco citato Rom. IX. 28. sic scripsit: *In proferendis testimoniis non magna ratio habetur seriei orationis.* Proinde etiam hunc Psalmum non pro vaticinio a Dauide de Christo prolatum habet, sed pro scripto in captiuitate Psalmo, sequentem in modum: *Itaque zelus pro templo fuit affectus eorum, qui in exilio grauiter ferebant, solum Deo sacrum, & templi rudera feris tunc, aut impuris hominibus calcanda relinqui; & summopere optabant, aduenire aliquando tempus, quo templum instauraretur, & a solis Iudeis unus Dei cultoribus, frequentaretur.* Hunc autem affectum religiosorum hominum alii Iudei irridebant, ut sequentia verba docent: *Probra exprobrantium tibi ceciderunt super me; hoc est, cum audirem dici, tibi Templum & cultum tuum curae amplius non esse, nec religiosos homines pluris a te fieri quam alios, quae tibi erant contumeliosa; grauissime iis commotus sum, quasi me ipsum nominatim impeterent.*

Hoc autem CLERICO dandum est vituperio, hoc ipsi maximo assignandum est vitio, quod nullam Christi, nullam Apostolorum, nullam veritatis Christianae rationem habet, in exponendo hoc versu. Ipse structuram versus negligit, ipse contra orationis seriem verba, quae in Christum vnicce quadrant, ad Iudeos in captiuitate Babylonica detorquet. Ideo non asscutus est verum huius versus sensum, quia videre noluit, loquentem zelatorem pro domo Dei cum Deo Patre sic coniunctum esse, ut si Deus blasphemetur, ea op-

R 3

pro-

probria in eum, (nempe Messiam) cadant, & vice versa, si qui op-  
probria in eum, nempe Messiam, coniiciunt, ipsi Deo probra expro-  
brant. Nam hunc nexum personae patientis opprobria, cum ipso  
Deo, innuunt verba: exprobationes eorum, qui probra in te iaciunt,  
in me cadunt. Quod vero attinet zelum, in hoc versu descriptum,  
non cadit ille in Iudeum sub captiuitate Babylonica viuentem. Nam  
sermo est de eiusmodi zelo, ex quo filius Dei a fratribus suis pro ve-  
ro Messia agnoscere debuisset, ex quo zelo, si improbat, Deus blas-  
phematur. Sermo non est de dolore ob templum exustum, sed de  
zelo, hoc est, de indignatione ac desiderio vindictae, ob conculca-  
tum Dei honorem a frequentantibus domum Dei. Hic zelus pro  
domo Dei eleganter confertur igni consumenti. Nam Christus per  
repurgationem templi se internecino Iudeorum odio obiciebat, hoc  
sanctissimo zelo semetipsum Deo Patri in sacrificium offerebat, & ut  
sacrificium ab igne, sic ipse a passione mortis consumebatur. Fictus  
autem CLERICI zelus, qui Iudeos ob deuastatum templum con-  
sumisset, Socinianorum in gratiam excogitatus est, & nunquam ex-  
stitit, nec existere potuit. De domo Dei, non amplius existente, do-  
lere quidem, sed zelari non possumus. Constitutis enim a Deo se-  
ptuaginta annis captiuitatis Babylonicae, in constitutione diuina piis  
Iudeis acquiescendum erat. Sin aliter zelari pro domo Dei voluiss-  
ent, diuina in templum exustum iudicia simul improbassent. Si  
quis a tali zelo consumptus fuisset, ex indignatione iniusta periisset.  
Si quis etiam Iudeus opprobria ideo in se, ut nudum hominem, con-  
iecta pro blasphemias habuisset, se ipsum Deum fecisset. Tot diffi-  
cultatibus premitur CLERICVS sententia, ex serie orationis, ac nexus  
verborum in hoc ipso versu. Accedit tandem, hoc esse postulatum  
plane non ferendum, ut, afferente Paulo, hunc Psalmum esse Daui-  
dis, & suffragante etiam titulo, nos tamen CLERICO credamus, fin-  
genti, Iudeos in captiuitate Babylonica hunc Psalmum composuisse.  
Eiusdem postulata tam absurdia sunt, ut a sano homine ac pio Chri-  
stiano nunquam concedi possint, nempe *Apostolum sic loqui ex sen-*  
*tentia recepta, illum titulum Psalmi male intellexisse.* Haec iniuria  
sunt in ipsum Spiritum Sanctum, ex cuius inspiratione Dauides ac  
Paulus scripserunt.

Maximam autem difficultatem CLERICVS in versus 6. applica-  
tione ad Christum quaerit: *Deus tu nosti stultiam meam, & reatus*  
*mei*

*mei a te occultati non sunt. Hinc ad h. l. haec tradit: Haec Christo non nisi per fidiculas aptari possunt, cum in eo neque stultitia, neque delicta fuerint, cumque de alienis peccatis ita loqui nequeat. Sed haec difficultas facile solui potest, si modo obseruetur, Christum logui de sua stultitia, ex accusationibus suorum hostium; & consequenter de mendaciter ipsi afficta stultitia, & de reatibus, ob quos sine causa mortii adiudicatus erat, de hac stultitia Deus etiam iudicium ferat, num illa morte digna in Christo inveniatur? Abiudicabit etiam CLERICVS hunc Psalmum ex maledictione hostium v. 27. Christo minime competente, qui potius veniam delicti inimicis suis exorasset. Sed diuerso respectu Messias considerauit hostes suos, & utrumque facere potuit. Intercessit pro iis, qui nesciebant, quae faciebant, non autem pro iis, qui pro aeretice peccabant, & Messiam pro filio Dei agnoscentes, tamen dicebant: Matth. XXI. 38. Marc. XII. 7. Luc. XX. 14. *Hic est haeres, venite, occidamus illum.* Diuerso itaque respectu Messias tam pro hostibus suis intercedere, quam etiam de eorum maledictione vaticinari potuit.*

Totum autem Psalmum Christo conuenire, plurimi concedere nolunt. En verba CLERICI ad vers. 10. huius Psalmi: *Falluntur, qui putant, quia in Psalmo aut alio vaticinio quidam est, quod ad Christum pertinet, ideo totum Psalmum aut vaticinium ad eum spectare. Passim quaedam sunt ab eo prorsus aliena admista iis, quae Apostoli, quasi de eo dicta, citarunt, nec debent torqueri, ut Christo conueniant.* Et idem affirmat IUNIUS in Parallelorum l. 1. 65. in Opp. Tom. I. p. 1059. *Quemadmodum autem proprius & singulavis dici Davidis Psalmus non potest: sic etiam absurdum foret, si quis proprium esse Christi, et pure de eo intelligendum ex omni parte affirmaret. Nam huic interpretationi versus non pauci obstant, qui id omnino flagitant, ut de Davide autore Psalmi cuius intelligentur. Sed haec est illa hypothesis, quam ferre non possumus, quia non datur duplex veritas, ita ut ex pura propria & singulari veritate locus de Christo non sit intelligendus, ex communi tamen interpretatione secundum prophetiam. Nam huic asserto iterum obstat: nullam dici posse prophetiam, nisi eam, quae est κατ' ἀληθειαν, & quae futura ex veritate praedicit. Cohibenda autem huius audaciae nullum melius datur frenum, quam si cohaerens totius Psalmi ac vaticinii nexus ob oculos ponatur, & ex visceribus textus demonstretur, esse Psalmum pro-*

propheticum de moribundo Messia, qui nullis iustis ab hominibus afficiebatur poenis, sed qui innocens ad salutem fidelium patiebatur, ita ut dicere posset: *Rependi, quae non vapui.* Quum vero sermo sit de eiusmodi sancto, ad iniustum mortis supplicium rapto, cui sicuti fel & acetum porrigitur, Psalmus nec ad Dauidem, nec ad Babylonicum, nec ad praesens gentis Iudaicae exilium applicari potest. Nam attendatur modo, quomodo persona patiens ac moribunda sese gerat, de quibus hostibus conqueratur, quas persecutiones perferat, quos dolores sentiat, quid a Deo expectet & speret, & veritas se ipsam prodet. Omnes enim phrases & circumstantiae funest in patientis Messiae executionem, non autem placidum morituri Dauidis obitum describunt. Quia autem Psalmus est paulo prolixior, cohaerentem illius versionem subsecuturae cum Deo disputationi reseruamus, quae loca de felle & aceto, sicuti Messiae porrecto, conferet.

Dum vero de zelo Messiae pro domo Dei egimus, continuo Deum oramus, ut accendat in nobis etiam coelestem puri & veri zeli ignem, quo pro cognitione & gloria Messiae maiori feroze zelemur. Quot frigidi, quot tepidi dantur inter Christianos eruditi, quot interpretes, quot rei sacrae studiosi, qui vera de Christo vaticinia esse, confiteri nolunt, & non obstantibus conscientiae moribus in statu incredulitatis ac impietatis erga optimum Seruatorem torpent, meditationem verbi diuini & usum textus originalis negligunt, & tamen pro cultoribus Christi sese habent. Hypocrisis est, si quis simulat cognitionem Christi, qua scit se destitutum. Exuatur eiusmodi hypocrisis, induatur zelus, qui est calor cognitionis & pietatis, ut ille appareat in omnibus occasionibus, in quibus agitur de promouenda Dei gloria, de tuenda Christi causa, de defendenda usque ad mortem veritate. Ad hunc zelum nos impellat zelus Christi crucifixi, qui pro nostra salute nullum subtersigit odium, nullumque acetum. Si tali ardore & amore feremur erga Deum, ad eundem, quem zelus Christi attigit, perueniemus scopum, ut finem fidei nostrae, aeternam salutem, assequamur.

